MISCELLANEA.

1/ KOPCZYŃSKI Onufry, Sermocinantis Juvenci Poniatovii Prosopopaeia. /po łacinie i po polsku/, Warszawa 1777 /?/. w druk. P. Dufour. -K nlb 7.-E_{XX} Str. 74.

2/ /Stanisław August/, A Roi de Pologne Le Jour de son Couronnement Ode. -K nlb. 3.- E_{XXI} str. 37

3/ DUSAUSOIR, Épitre a Monseigneur Ange Durini, Warszawa 1768.-K nlb. 6.-

4/ de M........nd, La France consolée, heureuse et reconnoissante. Ode.- K nlb. 2.-

5/ La fidelité recompensée. Romance.-Str. 8.-

6/ Ode a Phyllys.-K nlb. 1. Str. 10.-

7/ BARBIER de Blignières, Epitre au Roi le langage des fleurs, et deux poëmes heroiques. Warszawa 1774.-K nlb. 10 /błąd introl., bo 2 ostatnie kartki mają następować po karcie tytułowej/.-E_{XII} Str. 367.-

8/ KOPCZYŃSKI Onufry, Monumentum Catharinae Secundae.- (Br.m.dr.) 1776.-K nlb. 1. Str. 6. K nlb 1.-E_{XX} Str. 73/4.-

9/ /STANISŁAW August/, Ode sur l'election du Roi de Pologne. A la Haye, chez la veuve van Thol et fils, 1764. Str. 8.- brak u E

MONUMENTUM
CATHARINÆ SECUNDÆ

DIE NATALI
CATHARINÆ SECUNDÆ
RUSSORUM CÆSARIS
IN MARMOREUM EJUSDEM MONUMENTUM
AUSPICIIS
STANISLAI AUGUSTI
POLONIARUM REGIS
OPERA VERO, MONALDI STATUARII REGII
PROPEDIEM PERFICIENDUM

ONUPHRIUS KOPCZYNSKI. Sch. P.

MDCCLXXVI.
VARSAVIÆ

Marmore de Pario, fabro, CATHARINA, Monaldo,
STANISLAE Tuis naſcitur auſpiciis.
Rex Sapiens, fæcunda Parens, & ſculptor acutus
Contribuunt operi: quantum opus iſtud erit?
Oſſa dedit Tellus, Rex ſumptus, brachia ſculptor:
Poſteritas! quanto perfruitura bono es?

Parva Deum Soboles, magnum Jovis incrementum;
Accipe, quam gratus REX Tibi præſtat opem:
Quippe laborantem videas ſuccumbere Veſtam,
Ni auxiliatricem porrigat Ille manum.
Lucina! adſpira: gemit aucta Puerpera nixu;
Nondum certa, hominem ſeu paritura Deam.
Invide! quid terres trepidantia pectora, Python?
Qui te conficiat; regnat Apollo novus.
Solve metum, ſacroſque ſinus exporrige Mater:
Neu doleas; Partum reſpice Diva Tuum.
Audierat monitum; bene habet. Procul eſte profani!
Vela cadunt; linguæ vir mulierque ſave.
Apparet: qualis, tranquilla per æquora, vecta
Prima Venus (caluit frigida turba maris:)
Qualis erat Juno, thalamo dignata recenti
Majeſtate ambos imbueratque polos;
Qualis erat, fæto Patris digreſſa cerebro,
Pallas, avernales terrueratqne feras;
Sic oculos, ſic Iſta genas, ſic oraque frontemque
Exerit, & variis ludit imaginibus.
Quàm bene conveniunt & in una ſede morantur:
Majeſtas & Amor, Fæmina & Jngenium,
Imperium & Ratio, Lex & ſuprema Poteſtas,
Pentheſilea ſago, Semmiramiſque toga,
Ruſſos & Thraces æterna compede vinctos
In Libertatem vindicat AUTHOCRATE.

Servitii

Servitii impatiens, libertatiſque peroſa,
Ne ruat in cauſam, neſcia turba, mali;
Exemplo primúm monet; hinc, brevis omnia Codex,
Quod natura vetat, quod jubet; unus habet.
Os, animi, ingeniique index, Natalibus ipſis,
Monſtrat, quis Divam ſpiritus intus alit:
Hic propiora animans, terras diffuſus in omnes,
Recta tenet, firmat mollia, dura premit:
Europâ atque Aſiâ major, trepidante Britanno,
Phæbo ſplendidior paret in orbe novo.
Talia dum ſecum reputat turrita Genitrix
Luctus abit, veniunt gaudia. Saxa canunt:
„ Scilicet, hæc deerant miſeræ ſolatia Matri
„ Tandem ne indignis oſſa aliquando daret.
„ Stant monumenta feris, impune Latronibus, ex me,
„ Delicio generis, ſtet monumentum, hominum.
„ Uſque adeone ipſis Vitiorum inſervio monſtris,
„ Virtutis nunquam, etſi Dea, mater ero?
Adſilit AUGUSTUS, notaſque ex ordine dotes
Ponderat, attonito Pigmalione fabro:
Cûi mentemque, manumque regens, ſtupet Arbiter ipſe,
Atque animum fictis paſcit imaginibus.
Quiſquis amicitiæ gratiſſima munera ſentis;
Ex Domina, Dominum noris amice meum.
Proſpiciens MAGNUS, de excelſo PETRUS Olympo;
Exilit, & Natam agnoſcit amatque ſuam:

„ Multa tuli, fecique, inquit, ſed ſeminis inſtar;
„ Jam fructum Populo dat CATHARINA meo.
„ Quæ mihi Petropoli poſuit monumenta, meretur
„ Varſaviæ, Gentem Neptis utramque beans.
„Felicem Lechiam! ſi ſentiat & ſciat uti
„Vicinæ auxilio propitiæque Deæ.
„Olim inimicæ, hodie coeunt in fædera dextræ;
„ Sic Regum in Populos tranſit Amicitia.
„Durate, & voſmet rebus ſarvate ſecundis:
„Quæ diviſa ruunt; juncta, perenne manent.
Dixit & exceſſit. Cauti gratique Poloni;
Quærunt Memnoſines, Numini in æde locum.
Omnia plena vident, Epicuri de grege, Divis;
Qui ſua, non hominum, commoda amare ſolent.
Sollicitis, rigidus veri Librator & æqui,
Momus adeſt, Divos Utilitate probans.
Fit fragor inſolitus, reboant delubra cavernis.
Bella Superſtitio cum Ratione gerit.
Torva illa atque ferox ſtolide, ſine viribus; Jſta.
Et comis, & fortis, vel tibi Mome placet.
Quis tibi tunc ſenſus, quæ vota preceſque Polone?
Dum Iſta Deos, tantum cedere ſede jubet,
[Quos metus impoſuit, priſcum ſed inutile pondus:]
Illa manu Lemures nube tegenſque ſacros:
Evocat auxilio Noctemque Erebumque Parentes;
Interea tenebris, ſat ſibi tuta, fremit.

Excor-

Excordes ſed enim Fatum ſenſere Penates;
Poſtquam Rex SAPIENS à Ratione ſtetit.
Luminis ad tanti radiantia fulgura, Larvæ
Nudantur; miſeris quis pudor ille fuit?
Vix ſe Probra ferunt: vocem reſtemque ſequuntur
Lechiadum: erupit prima, Superſtitio.
Exprobrat exulibus (Rege & Ratione vetante)
Momus: ubi jam ſunt omnia recta; fugit.
Rex jubet & Ratio; quicquam parere recuſet?
Hinc, quod ſæclum alias, perficit hora brevis.
Una ruit Domus, altera ſtat. Diſcedit uterque
Auſpex: in turba ſiſtere cogor ego.
Undans turba, oculis laterique pedique moleſta;
Spectatorem avidum pauca videre ſinit.
Sed vix, viſa animus cepit miracula. Juro
Non Domus illa mihi, Regia ſolis erat.
Porta auguſta, ingens: titulo ſuperata modeſto,
(Cujus, Tu Populus, Rexque, memento, velim)
HAC HABITANT HOMINES DIVUMQUE MERENTUR HONORES
ÆDE, CUI RATIO MEMNOISNEQUE PRÆEST.
Porta auguſta, ingens, denſa ſegete undique clauſa,
Pauca videnda mihi, pauca legenda dedit.
Vidi ad utrumque latus, Buſtis cum nomine celſis:
Trajanum, Aurelios, Abdolomina, Cyros,
Jagellonem, Auguſtos, Sobieviumque Joannem;
Vaſtæ Ædis reliquum, Lechica Fama ſciet.

Quippe

Quippe Stylo lituoque potens, hinc inde volando,
Æternum, ſenſim, perficiebat opus.
Altari, adverſo portæ, & cum duplice ſede;
Lemma auro inſcriptum cernitur: HERMATHENE. (*)
Infra, ſede una legitur: CATHARINA SECUNDA.
Sede alia, cæptum nonniſi, STAN - legitur.
Perfice fama! rogat Populus. Fac juſſa Monalde!
Prima tibi dat REX; altera, dat LECHIA.

(*) *Fuit apud Athenienſes altare; in quo, ſimul, Hermes ſeu Mercurius, & Athene ſeu Pallas, duo tutelaria urbis Numina, colebantur, juncta & delubro & nominibus,* Herm- Athene.



MATHÆO
PRINCIPI
RADZIVILIO,
POETA, PETROPOLIM S. P.

CARMINA cui nuper miſi lugubria, (*) læta,
Diſcipulo quondam, Carmina mitto meo.
Corpore ſepoſiti mente ut jungamur Amici &
Ut, quam ſit Dominæ Lechia grata Tuæ,
Quamque Ejus vultu cupiat, diſtante, beari;
Diſcas, exemplo proficiaſque ſuo.
Terque quaterque beate Puer! Tua ſi bona noris,
Præſentem ſpectans Petropoli Dominam.

(*) *In obitum Julianæ Comitis de* STACKELBERG, *ſub lemmate:* In Amore dolor.

Nos umbrâ Illius securi & imagine capti,
Ludimus ante suos, Orgia pene, focos.
Uror amore Deæ, tantoque potentius uror;
Quanto, qui me urit, longius Ignis abest.
Tu lateri agglomeras, & rapti Ganimedis honore
Lumina propitiæ figis in ora Deæ.
Miror & invideo fortunæ munera tantæ;
Fac, fortunam habeant, Carmina nostra, Tuam.
Carminibus persæpe Deûm monumenta perennant,
Carminibus Dominæ gratificare Tuæ.
Fortunate Puer! nondum Ejus munera nosti:
Qua sine, perdideras Teque Tuosque Lares.
Utere sorte istâ! REGIS Patriæque, meique
Sis memor; & Dominæ Carmina nostra refer.
Gratus honor: tanta se PRINCIPE posse tueri;
Gratior, à tanta PRINCIPE posse legi.

